

De phlegmatia alba dolente. Dissertatio inauguralis medica ... / auctor Georgius Reuter.

Contributors

Reuter Georgius.
Royal College of Physicians of Edinburgh

Publication/Creation

Berolini : Formis Brüschckianis, 1826.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/wyrrcjmj>

Provider

Royal College of Physicians Edinburgh

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by the Royal College of Physicians of Edinburgh. The original may be consulted at the Royal College of Physicians of Edinburgh. where the originals may be consulted.

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DE
PHLEGMATIA ALBA
DOLENTE.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI
MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARIA BEROLINENSI
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR,
DIE XXVIII. M. MARTII A. MDCCCXXVI.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR
GEORGIUS REUTER
SUNDENSIS - POMERANUS.

OPPONENTIBUS:
MOLINEUS, DR.
BECKHAUS, DR.
REINHARDT, DD.

BEROLINI,
FORMIS BRÜSCHCKIANIS.

PHILIPPA ALBA
DOLBY

DISSENT

UNIVERSITY MEDICAL

CONSTITUTIONAL AND PATHOLOGICAL
ANATOMY

THE UNIVERSITY OF CAMBRIDGE

BY

THE UNIVERSITY OF CAMBRIDGE

THE UNIVERSITY OF CAMBRIDGE

THE UNIVERSITY OF CAMBRIDGE

THE UNIVERSITY OF CAMBRIDGE

BY

THE UNIVERSITY OF CAMBRIDGE

THE UNIVERSITY OF CAMBRIDGE

THE UNIVERSITY OF CAMBRIDGE

THE UNIVERSITY OF CAMBRIDGE

THE UNIVERSITY OF CAMBRIDGE

THE UNIVERSITY OF CAMBRIDGE

THE UNIVERSITY OF CAMBRIDGE

THE UNIVERSITY OF CAMBRIDGE

Morbi descriptio.

Morbum recentioribus demum temporibus se ostendisse curantibus, parum credi potest, licet vetustiorum nemo status huiusce morborum descriptionem nobis tradiderit, ex qua colligi potuisset, peculiari eum nomine morbum appellasse.

Maurisavium igitur auctorum primumprehendimus, qui pluribus eum exposuerit in tractatu suo de foeminarum morbis, quo factum est, ut et alii animum intenderent in describendum illum, quem l'enflure des jambes appellaverat. Mox cupido dissipandarum tenebrarum, in quibus morbi originem reliquerat, Anglorum quoque medicos invasit, qui tamen ita rem tractaverunt, ut morbi causa proxima adhuc lateat. Germanorum quoque nonnulli rem passim attigerunt

Nomina, quae morbo huic rarissimo imposuerunt auctores, haec sunt: Phlegmatia alba dolens. Oedema lacteum. Oedema puerperarum. Phlegmatia alba dolens puerperarum. Scelalgia puerperarum. Ischias a sparganosi. Infiltration laiteuse. Enflure des jambes laiteuse. White leg. Weisse Schenkelgeschwulst der Wöchnerinnen.

Morbus praecipue mulieres invadit, aut gravidas, aut, id quod saepissime, puerperas, spatio post partum, quod alii propius, alii remotius observarunt, ita, ut intra nycthemerum nemo, nemo sex praeterlapsis hebdomadibus, dolores primos foetas incidisse referre possit. Graviditatis autem quo mense partum ferentes propensiores sint, ad morbum sibi conciliandum, neque in auctorum scriptis reperi, nec ipse scio.

Graviditatem vero cum puerperio in sexu sequiori primas agere partes, eo constat, quod exemplum nemo protulerit, ubi de puella agatur, hoc morbo correpta, quae viro nondum admisso graviditatis munera evitaverat. Tria vero virorum exempla, ab Anglis White, Simmons et Sankey relata, satis probant, viros rarissime praeditos esse hac ut dicam productivitate ad morbum colendum, quae in mulieribus viget, quae partum ediderant. Sed de his infra uberius.

Locus, quem prae omnibus morbus afficere

solet, in extremitatibus inferioribus nobis obvenit, sed brachia quoque morbum suscepisse, rarioribus adnumerant Callisen et Casper.

Stadium, quod prodromorum dicas, fere nullum; neque iis casibus, quibus paulo post partum morbus se ostenderat, neque iis, ubi multorum dierum valetudinem secutus erat; nec ex partus decursu leviori aut graviore coniecturam facere licet de morbo imminente, quia saepissime mulieres doloribus atrocissimis cruciatae ob partum pedibus editum, aut quibus, pelvi angustiore, forcipe succurri debuerat, detrimentum nullum inde acceperant; hae contra, quae absque magno conamine pepererant, splendidissima gavisae valetudine, hoc morbo subito oppressae vix mortem effugere potuerant, nec nisi per longum temporis spatium lecto affixae.

Vehemens primum oritur dolor e regione plerumque inguinali, interdum etiam ex osse sacro, e genu, aut in extremitatibus superioribus e fovea axillari, totum quam celerrime occupans membrum, cuius ne punctum quidem sine atrocissima aegrae sensatione tangas, et ne ex se ipsa dolorem accipiat, motum quam maxime muscularem anxia animo evitare studet.

Febrem non semper doloris ortum comitantem invenimus, sed si adest, in exacerbationibus, quae vespertino tempore subveniunt, deliriis in-

terdum aegrotae animum occupatum vidimus; neque haec desunt symptomata, quibus de tubi intestinalis affectione certiores fiamus.

Dolor interdum decursum nervorum sequitur, et nervus praecipue cruralis cum obturatorio malum mentiuntur ischiadicum, quod antea vocamus, contempta ipsa paene febris remissione.

Primi haec stadii symptomata nominare placuit.

Surgit nunc altero aut tertio die post, tumor, qui sensim e loco illo, quem dolor primum cruciaverat, deorsum extenditur, ita ut dolente regione inguinali, vulvae labia, et latus femoris internum distenta deprehendimus. Mox totum femur, et paulo post, genu excessis finibus, crus simili modo afficitur; et in ipsum pedem tumor traducitur, doloribus paululum recedentibus. Sed accidit interdum, ut et crure servato, pes malo maneat immunis; tumor femur tantum amplectitur, quod duplicem sani amplitudinem excedit. Labiorum vulvae saepissime id tantum intumescit, quod in latus femoris spectat, cui malum insidet.

Sed tumoris huius naturam distinctius pingam necesse est, quae longe aliam sese praebet, quam crederet, qui animum adverterat ad ea, quae ante acta sunt.

Tumor enim haud rubet, neque cutis color

in alium mutatur, et ne a nomine recedamus, qui pluribus placuit, punctis rarissime perpaucis, aut vibicibus colore rubicundo obsitus est; sed albescens, et ob distentionem nimiam renitens nullo corporis motu aut situ mutatur, foveam nusquam impressi digiti retinet, sed elasticum aut duriores ubique se praebebat. Calor auctus in iis partibus, quas tumor tenet tam sensiles, ut non sine magnis doloribus digitis tentari perferant, nec impune moveantur.

Haec omnia intra trium saepissime dierum spatium fieri solent, tertium ut incipiat morbi stadium, cuius qui viderit decursum, quae de prognosi infra dicenda essent, facile componere sibi potest.

Tumor eandem, quam e stadio secundo apportaverat formam, et in hoc retinet per aliquot hebdomades, quibus praeterlapsis interdum extremitatem adhuc liberam occupat, ita vero, ut intumescantiam hydropicam appellare posses. Et ille, qui primus aderat, oedematis nunc magis se induit natura, foveamque sibi retinet impressam. Pristinam autem valetudinem recuperare perpaucis contigit aegrotis, quae per plures insuper hebdomades auxilium nostrum imploraverant, ut a doloribus acerrimis liberentur. Tumor enim eodem ordine, quo impetum fecerat, decrescere tum solet, ne vestigium sui relinquens; sed proh

dolor! rarissime evenit. Sunt qui hoc intra duas, alii qui intra octo hebdomades observarunt, nec eos taceam, qui morbum longius se protraxisse tradiderunt. Signa, quae critica se praeberent, nulla, neque ex urina, neque e diaphoresi exitum hunc indicant, quamvis ex iis de febris statu mitiore coniiicere licet. Interdum autem, sed inter rarissimos obvenit casus, pustulis cutaneis copiosissime prorumpentibus morbus iudicatur observante Callisen. Adsunt exempla, et quidem plurima, in quibus res aliter sese habet. Et tumor quidem abit, sed mutationibus, quae in articulis factae sunt, aut in musculis, quibus ossa moventur, aegrota altero pede clauda per reliquum vitae tempus incedere cogitur. Lympha enim plastica, quam inter musculos in telam cellulosa reperimus secretam, omnes hae partes ita concrescunt, ut motui porro inservire nequeant, et curvato genu crus femori attrahatur. Interdum etiam, resoluta tumore, extremitas debilitata remanet. Suppuratione rarius deliquescit tumor, quod si fit, canaliculis totum femur effossum videmus, qui ut sanentur, maxima opus est cura per longum temporis protracta.

Mortem finem imposuisse rei rarissime evenit, sed non habemus, ut topicum accusemus malum ita arctare vitam, ut longius produci non posset; febris potius aut atrocitate, qua morbi initio sae-

vit, in symptomatum exacerbatione diebus solitis necat; aut suppurationi accedens vires consumit, mortemque adducit hecticam, cuius et Capuron affert exemplum mulieris, quae ab affectione syphilitica, ante graviditatem sibi conciliata, nondum plane liberata erat.

Morbum acutum esse, nemo contendet.

D i a g n o s i s.

Compositis his, quae de origine, forma et decursu huius morbi diximus, nemo committet, ut alium cum hoc commutaret. Sed ut cuique persuasum hoc sit, illos proferam, qui proxime ei accedunt.

Ab oedemate hydropico frigido facile eo distinguitur morbus noster, quod a partibus superioribus deorsum pergat, tumor caleat, doleat, neque foveam impressam retineat; oedema contra inverso ordine partes aggreditur, malleolorum primum regio tumescit, e qua tumor mollis, frigidus, foveam digito impressam retinens, altius diffunditur, pallens quidem, sed nullum commovens dolorem, etsi rudis tangas manibus; nec caetera desunt signa, quae cachexiam hydropicam spectant, aut probant, quantum crus acceperit damni ex iniuriis sibi illatis; neque experimento caremus, quo in diiudicando morbo

ducimur. Cutis enim, incisione aut punctura facta, oedema hydropicum magnam liquidi, quo distenditur, copiam dimittit, cuius ne guttam quidem per loca incisa in hoc nostro morbo effluere videmus.

Emphysema quam proferre posset similitudinem, mox tactui cedit, qui tumorem significat elasticum, haud dolentem, quem crepitantem digiti sentiunt. Nec membrum moveri dolores vetant.

Et tumor, quem in primo elephantiasis stadio deprehendimus, valde discrepat ab illo, cuius naturam in morbo nostro supra descripsimus, ita ut ad stabiliendam diagnosin nemo mutationes illas expectare debeat, quae integumenta corrumpunt. Febris quidem cum dolore in regione inguinali et ipsa adest, sed insidet ille glandulis inguinalibus quae tumuerant; striis rubris tota variegata extremitas tumore se induit, qui licet oedematis magis formam prae se ferat, ab illo tamen distinguitur, quod magno cum dolore digiti impressi haud retinet vestigium.

In pseudo quoque sic dicto crysipelate, quod plerumque extremitates inferiores afficere solet, initio quidem nullo modo e colore, quo haud mutato integumenta communia induta sunt, conici potest, in profundis morbum latere. Sed et hoc ipso tempore, nisi sedes huius mali, cui

anteriorē potissimum cruris partē obnoxiam deprehendimus, eo faciat, ut phlegmatiam albam eum non esse facile agnoscamus, tactus diagnosin firmat; locus enim durum et inaequalem se praebet, quia tela cellulosa inflammata cutem singulis locis intimius sibi iungit. Et ex livido colore, paulo post subveniente, certum inveniemus signum; ne quid dicam de iis, quae in hoc morbi stadio nunquam in phlegmatia nostra reperiuntur.

Oedema, quod mulierum hystericarum crurā interdum occupat, Sydenham pneumatosin hystericam appellavit, neque dubitavit, quin morbum nostrum esse diceret. Qui vero decursum longe alium spectaverat, subito enim surgit, mox evanescit, assensu suo haud excipiet sententiam viri clarissimi.

Abest in malo ischiadico, ubi illud solum dolorum fons est, tumor.

Indurationem telae cellulosaē neonatorum ne quis permutet cum phlegmatia nostra, opus non est, ut symptomata illius notissima proferam.

A e t i o l o g i a.

Causae morbi adhuc in obscuris latent, nec mirum; quas enim hoc casu maxime accusaveras,

illo ne vestigium quidem sui praebent, nec contigit, novas invenire, quas compelles. Pensitatis autem attento animo, quae circa morbi originem maxima sint momenta, non possumus, quin magni aestimemus vices illos aestus frigorisque, quibus puerperae hoc potissimum tempore expositae sunt. In omnibus fere morbi historiis, quae memoriae traditae sunt, refrigerium aut ipsis verbis accusant auctores praecedens, aut certe morbum incidisse in hoc anni tempus comperimus, quo tempestate humida, frigida, maximeque variabili hi praecipue offenduntur, quibus magna est cutis perspiratio, quam in puerperis maximam cernimus. His praecipue casibus, quibus morbus longe post partum mulieres irruerat, eo, quod neglecta tempestate, corpus motu aestuans subito frigori submiserant, morbum eas sibi conciliasse constat. Exemplum, quo mulierem, quae post partum, quem ediderat praematuum, corpus in fluvio abluerat tempore, quo boreas aquam tanto induerat frigore, ut tolerari vix posset, morbus prostraverat, Capuron affert.

Antiquiores scriptores lactis, locchiorumque fluxum impeditum maximi in hoc morbo momenti censuerunt; quo iure nescio. Ex praecedentibus enim constat, morbum non semper hoc sibi sumere tempus, quo foeminarum mammae lacte distenduntur, uterusque profluvio illo ab iis

liberatur partibus, quae parieti eius internae insederant, aut e substantia se contrahente quasi extunduntur, graviditatem dico; ut de iis taceam exemplis, quibus secundo post partum mense, postquam locchiorum excretio cessaverat, lactisque secretio vix apparens statim suppressa erat, morbus tamen se ostendebat. Saepissime autem evenit, secretiones has turbari sine ulla extremitatum offensione, neque rarius, lactem largius effundi, durante morbo. Itaque in aperto est, nihil in hoc morbo fluidis illis essetribuendum, quae perturbata tam diu pertimuerant medici; ne hoc quidem in eorum partem verti potest, exempla existere, in quibus effluvia haec cessaverint; secretiones enim minui, in omnibus febribus videmus.

Animi commotiones, quorum accusationem in scriptoribus nonnullis legimus, missas faciamus.

Causis vero, ad hunc morbum praedisponentibus auctam adnumerare oportet extremitatum inferiorum sensilitatem, quarum per graviditatis tempus iniuriae maximae erant, ita ut novis illis succumberent, quas partus paraverat.

De causa proxima lis adhuc sub iudice est.

Vasa quaedam lymphatica, ab impetu rupta, quo foetus in pelvi angustiore marginibus insidet acutis, magnam hanc lymphae copiam edere,

obliterato trunco, qui ramos susceperat, White docuit; neque defuerunt, quibus haec quam maxime placuerit opinio. Sed multa sunt, quae contra dicantur:

Neque enim unquam evenit, ut ipso hoc vulnere demonstrato, extra coniecturae fines res posita sit, neque satis liquet, quomodo ita dilacerari possint vasa. Anastomosibus enim innumeralibus latex ille lymphaticus truncis superioribus adducitur, et imperviis his, per illas patet via, quo cautum est, ne aliquid accipiant damni, etsi durante graviditate ab utero premerentur. Et pelvim ipsam quod accuset, non habet, neque enim intelligi potest, quae sit causa vasorum rupturae in illa, quae satis amplam sese prae-buerat; nec unice exstant exempla mulierum morbo oppressarum, quibus pelvis male formata vituperabatur. Dolorum etiam, quos sequitur tumor, causam, huic tribuendam esse vasorum rupturae, nequaquam probari potest; et haec desideratur explicatio, quomodo morbus in extremis superioribus procedat. Quae lactis, fluxus-que locchiorum in extrema inferiora metastasi in morbo hoc oriundo abscribendae sint partes, iam supra pluribus refutavimus.

Multa vero sunt, quae probentur in opinione Antonii Petiti, qui vasorum lymphaticorum et glandularum in quas coeunt, veram inflamma-

tionem accusat, quae omnia praebeat symptomata quorum mentionem fecimus; sed magis mihi videntur vasa illa in dolorum demum societatem vocari inflammatione, in partibus saeviente adiacentibus. Vasa enim lymphatica, idiopathica adfecta inflammatione, longe aliter sese habent: doloribus fere nullis, vibices, colore rubicundo cutem tingentes, vasis inflammati denotant cursum, eoque maiorem deprehendimus illorum copiam, quo ditior sit istis, locus adfectus. Inflammatio facile discutitur. Glandulae vero lymphaticae inflammatione ita offenduntur, ut quas modo non visus, ne tactus quidem detexerat, tanta prodeant mole, ut ovi saepissime gallinacei magnitudinem excedant, quod et duritie superare solent. Bubonum acceperunt nomen notissimum, nec opus est enarrare, qui sit eorum decursus, qui finis, ut pateat, in hoc nostro morbo, in quo, initio quidem, nec vibices illi, nec bubones nobis obveniunt, haud ita magnas eorum esse partes, quas auctores illis tribuerant.

Neque haec mihi placet opinio, quam iis, quas supra attulimus praeferendam censuit Hull: „nervos inflammari cum vasis sanguiferis primorum ordinum, telaque mucosa,“ quia multum interest inter symptomata, quae in utroque morbo conspiciuntur, ita ut expositis illis, quae vasa denuntiant inflammata, aut quibus de nervorum

inflammatione certiores sumus, nemo sit crediturus phlegmatiae albae eandem esse causam. Quibus enim decursus superficiei proximus est arteriarum, duriores tactui se praebent inflammatae, nec sine doloribus satis magnis; pulsus infra locum inflammatum omnino non, supra autem ictu maiore percipitur; cordis motus sueto vehementior; membrum ut moveatur nihil obstat, sed dum sensu omni caret, plagis interdum coeruleis obtegatur, quas tumor sequitur colore sordido totum amplexens, et frigore docemur emortuum esse, nutritione impedita ex arteriarum obliteratione, quae inflammatae semper clauduntur. Rarissimis praeterea iste morbus adnumerandus est. Quod vero de nervorum affert irritatione inflammatoria, non possumus, quin et in nostrum vertamus partem.

Ex alia quadam causa nervos affectos, neque tamen inflammatos esse, ex sententia clariss. Albers est, sed coniectura magis hoc eruisse videtur, quam ut e rei natura depromserit.

Iam cum varias, quas hactenus recensuimus, virorum clarissimorum sententias, veram ac genuinam huius morbi naturam non apperuisse demonstratum sit, liceat nobis proferre, quam ipsi, monstrante viam Ill. Himly, prae caeteris amplectendam censuimus sententiam. Ac si fortasse, quae proxime ad veritatem accedere

nobis videntur, non omnibus ea probaverimus, credamus potius, impares nos fuisse muneri, quod suscepimus, quam ut in viri clariss. culpam vertatur.

Ab illo enim accepimus, quibus non possumus non assentiri:

„morbum inflammationem esse rheumaticam, quae iuxta cum tunicis fibrosis, quarum in loco adfecto maximam deprehendimus copiam, neurilema sibi occupat nervorum, quorum haec regio ditissima est; ita ut morbi similitudo quaedam appareat cum malo isto, quod nomine ischiadici perhibetur, neque tamen ea dispereat forma, qua affectionem rheumaticam dicere licet, graviditatis tamen statu modificatam.“

In adversariorum numero multi sunt, quibuscum certamen haud inirem, nisi cum inflammationem vasorum lymphaticorum morbi causam dicerent, habitu tamen, quo interdum se induit morbus, eo perducerentur, ut affectionem rheumaticam agnoscerent, certos limites inter utramque assignari non posse statuissent, species adeo dixissent eiusdem generis.

Iam igitur, qui nobiscum sententiae veritatem deprehendere velit, ea revocet, quae supra de morbi origine et decursu monuimus.

In omnibus fere, quas retulerunt scriptores morbi historiiis, refrigerationi non possunt, quin

partes tribuerent, quae aut statim maximae prodibant, dolores cientes in regione inguinali, quos intolerabiles supra descripsimus, (tertiam videas morbi historiam a clariss. Casper narratam), aut quarum in totum corpus effectus, praeterlapso illo trium dierum intervallo, ut saepissime fieri solet, in iis se ostendebant, qui tempestatis vicissitudinibus se exposuerant.

Duplicem exinde rationem statuamus, quaedamnum hoc, quod refrigerium corpori infligerat, manifestatur: aut enim malum exoritur topicum sine febre, aut febrem primam invenimus, locum vero, quo morbus libenter versatur, paulo post affectum. Rheumatismi acuti, sive febrilis, sive non febrilis, facies facile cognoscitur.

Febris naturam ut probem rheumaticam, nemo me reprehendet, si arteriarum pulsum testem profero, cuius in sexagesima horae parte ictus 100 — 110 sueto duriores, plenioresque medici se praebent digitis, nec minus perturbationes illas, quibus digestionis systema vexatur; neque praeterea dolores, musculos lancinantes. Febrem et raro cum frigore magno incipere, et versus tempus vespertinum exacerbari, etiam ad nostram de illa sententiam facit, refrigeratione praecedente magis adhuc comprobata.

Extremities inferiores morbo corripit, nemo

miretur, qui magnas respexerit iniurias, quas aut durante graviditate, aut inter partum ipsum acceperunt, ductus experientia, morbum has sibi sumere partes, quae debilitatae impetum depellere haud possint; extremitates autem inferiores iniuriis istis infirmari, nemo nescit.

Cur autem extremorum alterum modo morbo succumbat, perinde latet, atque causa, cur saepe alterum tantummodo oculorum inflammatione rheumatica affectum videmus, qua cum et haec intercedit similitudo, quod liberato altero, in alterum plerumque transsiliat inflammatio.

Moneat quidam, inflammationem rheumaticam aliter se habere, tumorem eximium aut plane deesse, aut vero leviolem adesse, exitumque plane differre ab illo phlegmatiae albae; sed liceat mihi, mentem eius advertere ad statum illum, quo quamplurimum morbus noster se offert, ita, ut a multis nomen inde acceperit, graviditatem dico, aut tempus post partum proximum, quo constat, parum imminutam esse mulierum procreandi facultatem, quae mensibus, qui antecesserant, magno vigore floruerat; quibus rebus inflammationis speciem aliam evadere, ac vulgo fit, mox dicemus.

Ipsa autem ad partum edendum intentione virium facta, fatigatas mulieres, aptiores esse, ad damna accipienda, quibus vitae illa conditione,

qua lecto affiguntur, viam non claudunt, notissimum est. Maximum vero accipiunt incommodum ex refrigerio, quod aucta cutis exhalatione evitare vix possunt; et qui sint effectus eius, supra demonstravimus.

Pervenimus ad locum illum, quo puerperas rheumatica affectione correptas videmus; restat vero, ut explicemus differentias, quae multos absterruerunt, quin rheumatismum illam appellarent.

Inflammationum in puerperis longe alius exitus est, ac si tempore, quo sexus muneribus vacant, iis tentantur; suppuratio rarior, nec sinunt gangraena destrui partes; sed maxime studet natura, nova quaedam provocare, ad quae perficienda foetus conformatione se exercuerat, sed partu sublato, in aliam se convertit partem, quo stimulus eam vocaverat, statuque vasorum plethorico valde adiuta, ditissimam lymphae coagulabilis copiam effundit, loco cui obtruditur, perniciosissimam. Hanc rem cognoscas, inflammationis rheumaticae turbare faciem. Fit enim, dum tunicas illa fibrosas, quibus abundat regio, vexatur, et neurilema occupat, quod in nervis crassioribus, (neque enim ischiadicus nervus cum crurali, tenuioribus sunt adnumerandi) ita mutatur, ut structurae fibrosae similitudinem quandam

prae se ferat, unde dolores illi nascuntur, quos diximus, nervorum illorum decursum sequi. In stadio illo, quod morbi secundum nominavimus, magna haec lymphae, quam dicunt plasticam, moles, telae cellulosae immittitur, nec desunt signa, quibus ea de re certiores simus: incipit enim femur distendi, paululum minutis doloribus, qui tamen ne plane evanescant, ipsa hac partium, quibus continetur, tensione magna impeditur. Morbus, quas primas vexaverat partes, et stadiis quoque sequentibus, prae caeteris adit; tumor inde e femore in crus propagatur, pedemque ultimum afficit.

Omnia autem haec in interioribus sunt partibus, et cutis, qua obteguntur, textura adeo ab his discrepat, quae sedem potissimum praebent inflammationi rheumaticae, ut in societatem illarum, quas ceperat, haud vocata, effectibus tantum eius offendatur, doleatque, valde distorta.

Ne autem his, quae primo intuitu in rheumaticis inflammationibus mira videntur, ab hoc demoveamur vestigio, ea contemplemur, quae si accidunt, rheumatismi naturam non oppugnare constat. Rheumaticam inflammationem tumore hydropico saepissime indicari constat, quocum simul abeunt dolores. Quae tum aquosa exhalantur, in nostro morbo lymphatica se praebent, qua tamen re, ut intelligamus, rheumaticam mali

naturam male esse tectam, hanc respiciamus faciem, qua tumor se induit, tempore ab origine remotiore, quae et extremitate alteri accedit, si in illam morbus transsilierat, quam magis hydropticam novimus.

Hanc si amplecteris de morbo sententiam, nihil iam impedit, quin etiam de extremitatum superiorum affectione recte iudicari possit.

C u r a.

Morbum hunc, quem gravissimum hucusque persecuti sumus, ut antevertamus, maxima opus est cura, ne remediorum, quae experientia nos docuit, in illum inefficaciam iterum sentiamus.

Evitet igitur puerpera tempestatis illas vicissitudines, quas perniciosas ei supra novimus; puerperii sudorum nec sit impatiens, nec eos angeat nimis; ne prodeat in aperta, diebus partui proximis, non nisi vestimentis saltem munita contra tempestatis iniurias.

Haec quae poscit cura prophylactica, maioris sunt momenti, quam remedia illa, quorum in avertendo morbo laudes maximae erant. Summum inter haec locum tenebat Kali sulphuricum, quod tanquam lactifugum a veteribus valde aestimabatur; ab illo autem tempore, quo a lactis

timore in hoc morbo liberati sumus, remedium quoque illud a suo descendit loco, primarum tantum viarum perturbationibus factis in auxilium vocatum.

Quod ad curandi attinet methodum, iam pridem inter se convenerunt medici, aliam eam esse in morbi incremento, aliam sub statu, aliam in decremento.

Quod enim primum descripsimus stadium inflammatorium, apparatu debellandum est antiphlogistico, quae vero ex eo adhibenda sint remedia, ipse aegrotae status docet.

Venaesectionum usum plures non probaverunt medici, quorum praecipue White ab iis abhorruit, quippe quae dolores semper augeant; sed haud desunt, qui venam secari laudant, sanguinisque missiones modicas. Hirudinum vero in crura applicatio plurimis placuit, neque dubitavit Celeberrim. Hufeland, venaesectionibus eam semper praeferre.

Omniū tamen utilissimus se praebet Mercurii usus externus in forma unguenti cinerei, praemissis hirudinibus, et ut exsudationibus illis obveniamus, haud omittendum est, quantae sint vires Mercurii dulcis, cuius granum adhibeas singulis horis. Dolores ut levemus paulisper, Opium ei adiungendum est.

Morbus si ita tractatur, nec salibus opus est,

quae multi laudant, neque Digitali, quam Opio iungere Hullio et Westbergio placuit; antimonialia quoque, quorum laudant virtutes White et Boer, haud desiderantur, non enim, si a Mercurio destituti sumus, morbum in stadium secundum progredi impredient. De diaeta nihil moneam, quam ad remedia accommodes, neque de iis, quae ad locchiorum fluxum promovendum apta sint, aut ut lactis secretionem provocemus, si res paulo post partum acciderit. Contra morbi naturam locum cataplasomatis aut fomentis tepidis tractare, maximo damno esse solet.

Morbus autem saepissime, spretis his omnibus, in stadio secundo nos provocat curantes; neque habemus, quod opponamus ei, nisi ipsum Mercurium, cuius, ut resorbeantur, quae secreta sunt, virtutem nunc imploramus. Sed et, quae plurimi specifica dixerunt vesicantia, in usum vocanda sunt, quorum utilitatem praeter Boerium nemo tanti aestimabat, ut intra duodecim horas morbum se iis sanasse contenderet. Cingulum vesicatorium cruri imponatur in regione genu; evites vero locum, cui modo emplastrum adhaeruerat.

Locus hic erit fomentationum calidarum et decoctis plantarum aetherearum, et illarum, quae aceto calido instituendae sunt. Diaphoreticorum usus internus, qualem praebent antimonialia cum

camphora, aut camphora ammonio muriatico iuncta, Mercurius cum camphora, valde conveniunt. China ab Anglis maxime laudata, et his interponi potest.

In tertio stadio remedia excitantia loco adnota rem ad finem perducunt, et linimenta saponacea cum Camphora, olea aetherea, fumigationes resinosas maxime adjuvat fascia expulsiva. Neque balnea negligenda sunt, quorum tepida frigidis anteponunt auctores, et Albers non potest, quin maximas tribuat laudes balneis salinis. Electricitatem commendatam vult Callisen. Roborantia quae praebet medicina et culina maximo usui sunt.

Omnibus hisce remediis adhibitis, ubi aegrotam intra plurium mensium spatium sanatam dimittimus, de feliciori gloriari possumus eventu, nam haud medici vitio fit, si longins producenda est cura.

Tumor si in abscessum abierat, ex suo capite tractandus est.

Scripta, in quibus de phlegmatia alba
agitur:

Mauriceau traité des maladies des femmes etc.
Paris 1718.

White Untersuchung der Geschwulst der Kind-
betterinnen. Uebersetzt. Wien 1785.

H. Callisen Systema chirurgiae hodiernae. Hafn.
1815.

Evans in Dunkans medical commentaries Vol. X.

Simmons in London medical and physical Jour-
nal. 1806.

Sankey in Edinburgh medical Journal Vol. X.

Sachtleben in Stark Archiv Bd. II.

Hull in physisch med. Journal nach Bradley und
Willich, bearbeitet von Kühn. Leipzig 1802.

Capuron traité des maladies des femmes. Paris
1817.

Casper Diss. de phlegm. alb. Halae 1819.

Freyberg Diss. annotat. in phleg. alb. Hal. 1820.

CURRICULUM VITAE

EX DECRETO

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
BEROLINENSIS ADIECTUM.

Ego, Georgius Reuter, Sundiis natus sum die XI. Martii Anni MDCCCII. patre Georgio Reuter, matre Barbara, e gente Bööck. Patre mortuo mater sexto aetatis anno praeceptori me tradidit carissimo, puerorum educandorum peritissimo Gildemeister, rerum sacrarum ministro, qui per octo abhinc annos puerum tam paterno tractavit animo, ut omnibus instructum litteris iuvenem, anno MDCCCXVII. ad gymnasium dimittere posset, quod tunc temporis Rectore Furchau, Sundiis floruit. Primae classi adscriptus, usque ad auctumnum anni MDCCCXX. litteris ibi incubui, eodemque tempore ex iussu Regis potentissimi, in prima centuria secundae Pomeraniae cohortis, cui munus est cuniculos agendi, pontesque faciendi, stipendia per annum merui.

Testimonio maturitatis acquisito, Berolinum me contuli, ubi Rectore Magnifico Ill. Lichtenstein die XXI. Octobris in studiosorum numerum receptus, ab Illust. Rudolphi, eo tempore Decano medicorum ordini adscriptus sum.

Annum et dimidium Berolini versantem me docuerunt: Ill. Knappe osteologiam, syndesmologiam, Ill. Rudolphi encyclopaediam litterarum medicinalium, et anatomiam; uterque in cadaveribus dissecandis me instituit. Interfui lectionibus: Ill. Link de geographia physica, de chemia medicinali; Ill. Lichtenstein de zoologia; Clariss. Turte de physica experimentalis; Ill. Erman de magnetismo et electricitate; Ill. Hayne de botanice.

Goettingam inde petii, ibique Prorectore Ill. Bergmann d. XIII. Aprilis A. MDCCCXXII. inter cives academicos receptus, frequentavi praelectiones: Illustr. Blumenbach de historia naturali, physiologia, et anatomia comparata; Illustr. Schrader de botanice; Illustr. Stromeyer de chemia experimentalis et pharmacia; Ill. Langenbeck de anatomia, et chirurgia, cuius in clinico chirurgico aegrotos tractandi methodum diutius observavi; Ill. Himly de pathologia, therapia generali ac speciali, de ophthalmologia, de chirurgia medica, et ipso duce aegrotis curandis operam dedi; Ill. Mende de arte obstetricia.

Auctumno Anni MDCCCXXIV. iterum Berolinum petii, neque defui exercitationibus clinicis quas moderantur viri Ill. Rust, a Siebold et Graefe.

Tentamine et examine rigoroso rite superatis, spero, fore, ut dissertatione thesibusque defensis, summi in utraque medicina honores in me deferantur.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Tussis convulsiva est morbus exanthematicus.

II.


Depressio cataractae extractioni est praeferenda.

III.

Fractura olecrani callo sanatur.

IV.

Taenia nunquam expellenda est.



THE HISTORY OF THE

REIGN OF

CHARLES THE FIRST

BY

JOHN BURNET

OF THE UNIVERSITY OF OXFORD

IN TWO VOLUMES

THE SECOND VOLUME

CONTAINING

THE HISTORY OF THE

REIGN OF

CHARLES THE FIRST